

compescendi methodum , sed paratam in casus singulos & exercitio multo partam , acquirendæ terrenæ felicitatis , aut verius evitandæ quantum fieri potest , humanæ miseriæ , Prudentiam (optimam ac utilissimam humanaarum rerum cognitionem) conjectari : opus sanè excellentissimum , & quo non aliud homine dignius , θεῖον καὶ δαιμόνιον ὄντως χρῆμα , complures omni ævo sunt aggressi Viri Celebres & ingenuosi ; non eâdem viâ tamen nec eodem consilio , sed diversâ , ut erant ingenio diversi , ratione .

II. Ut enim eos nunc taceam , qui , αὐτοδίδακτοι quasi & aliorum operâ non indigi , suo solius ingenio Naturæ arcana recludere omnia , veritatis absconditæ claustra perrumpere , quæ ignorant cæteri adinvenire , non tam valuerunt aut reverâ tentarunt , quam ausi talia & valere videri arroganter voluerunt , in magno cæterorum numero paucissimos ; silentio quoque involvam istis è diametro adversos , sive veteres sive recentiores , scepticos ac dubitatores , qui vel à se vel ab aliis veri certiç; quippiam aut inventum esse unquam aut inveniri posse desperanter negarunt , aut hodienum negant ; reliquorum certè ingentem numerum ad duo saltem capita generalia revocare non incongruè licebit ; eorum puta , qui duci quam ire malebant , & præeuntem magistrum affectu fœmineo ita sequebantur , ut omne suum studium in dogmatibus ac hypothesibus ipsi familiaribus rectè percipiendis ac interpretandis , adversus contrasentientes mordicus defendendis , horumque contrariis opinionibus acriter impugnandis ac refutandis , collocarent ; & illorum , qui ab unius ore pendere , aut in verba unius Magistri jurare nolentes , ex ore scriptisve Doctorum quorumcunque , quicquid veri boniç; , non docentis Authoritate , sed argumentorum pondere ac demonstrationum ανάγκη convicti , cognovissent , in horrea sua colligebant , adeoque , de suo subinde , quantum poterant addentes , oculis suis potius , quam alienis , videre sustinebant .

III. Prius